



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Med. 31. De Prouidentia Dei in alendis creaturis, praecipuè hominibus,  
ijsq[ue] maximè, qui Regnum Dei & Iustitiam eius in primis quærunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

## MEDITATIO XXXI.

DE PROVIDENTIA DEI  
circa sustentationem creaturarum,  
& præcipuè hominum, in vi-  
ctu, & amictu, hono-  
re, & bonis for-  
tunæ.



HAEC meditatio habet pro  
argumento admirandâ Chri-  
sti Domini nostri doctrinam  
de diuina providentia; quare  
per partes illam accipiemus  
ex verbis sacri textus.

## PUNCTVM I.

a Mat. 6. 25  
Luc. 12. 22.

**D**IXIT *a* IESVS discipulis suis: ne solliciti sitis anima vestra, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini.

## I.

Nimia sollicitudo.

s. Thom. 2.

2. q. 55. a. 6.

¶ 7. ¶ 1. 2

q. 108. a. 3.

ad. 5.

CONSIDERANDVM primò, quam sollicitudinem Christus Dominus noster his verbis prohibeat, quatuor sunt enim, ob quæ illa potest esse vitiosa:

*Primum*, si non sit de rebus ad vitam necessariis; aut statui eius, qui est sollicitus, conuenientibus; sed de nimis aut superfluis; vt si quis cupidè terrena bona thesaurizet.

*Secundum*, si sit ante tempus & opportuni-

ratem,



tatem, vt cum quis tales curas sibi nunc sumit, quæ non ad hoc tempus pertinent, sed post multos dies.

*Tertium*, quia est sollicitudo inordinata aut in intentione, aut in ordine, cum temporalia bona prius quærentur, quam spiritualia, aut cum horum detrimento, aut cum per mala media, aut ob malos fines, aut in eis collocando vltimum finem & quietem.

*Quartum*, si sit nimium anxia, etiam in rebus alioquin necessariis. talis .n. anxietas semper provenit à nimio affectu ad rem ipsam temporalem, & à parua fiducia de providentia diuina, quasi Deo nulla esset eius cura, sed ego solus illam essem acquisiturus. Immo propter eandem causam vitio tribuitur anxia sollicitudo, etiam de bonis spiritualibus, qualis fuit Marthæ, quando Christo ministrabat cum turbatione; & aliquorum scrupulosorum aut iniferetorum, qui sunt nimium timidi, & pusillanimes in negotio suæ salutis.

REFLECTENDO itaq; me circa hæc quatuor, ob quæ sollicitudo reprobatur, examinabo diligenter, num & ego in ea impingam, vt repellere studeam; ne forte dicat mihi Deus, quod illi diuiti nimium cupido, qui in eadem impingebat: *Stulte, hac nocte animam tuam* b Luc. 12. 20  
*repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erant?* quasi diceret, quid tibi tanta sollicitudo prodest, & thesauri quos congregas, si statim animam tuam repetunt, vt tua vita amittatur, cuius gratia illos congregabas?

EX



Ex quo Christus Dominus noster doctrinam de sua prouidentia intulit. *Ideo dico vobis, nolite solliciti esse, &c.* quia Deo cura est, vobis de omnibus prouidere. Sume, anima mea, in diuitis illius cupidi capite experimentum, detestans nimiam in his rebus sollicitudinem, nisi velis poenam etiam subire eius stultitiae. Audi potius supremi tui Magistri lectionem dicentis, *c Omnem sollicitudinem vestram projicientes in Deum, quoniam ipse est cura de vobis.*

*1. p. Med. 12  
c 1. Pet. 5. 7.*

**II.**

DEINDE perpendenda est Christi Domini nostri charitas, qua nimiam sollicitudinem nobis prohibuit in nostrum emolumentum; vt nos scilicet ab ea molestia & labore expediret, qui illi est coniunctus: & ideo dixit: *d Mat. 6. 34 nolite ergo solliciti esse in crastinum Crastinus enim dies sollicitus erit sibiipso. Sufficit dies malitia, & molestia sua:* atque si diceret: nolite hodie subire labores & curas, quæ pro hoc die non sunt necessariæ; sed eas tantum hodie assumite, quæ hodierni diei sunt propriæ; & cras suscipietis eas, quæ erunt crastina diei, cum enim non constet vobis quid sit cras futurum, nec num sit futurum vobis cras, nolite superflua hanc curam de futuris suscipere quæ fortè non erit ad rem, committite hoc diuinae prouidentiae, quæ complectitur omnia tempora, & in singulis prouidebit, quod singulis expediet.

SED his omnibus non prohibet Christus Dominus noster studiosam sollicitudinem,

quæ



quæ procurat res præsentēs, & moderata cura etiam præuenit futuras; quæ vocatur aliàs diligentia; quæ quatuor quoque complectitur cōditiones, superiùs positis cōtrarias: quia est in primis de rebus necessariis, aut conuenientibus corpori aut animæ, & suo tempore, & cū ordinata intentione & modo in illis quærendis; cum affectione etiam moderata, sine turbatione & anxietate. vbi enim hæ sunt cōditiones, non aduersatur sollicitudo prouidentia Dei, sed eius potius est effectus, & mediū siue instrumentum, quo utitur ipsa prouidentia ad suum finem obtinendū. Et ita eam sollicitudinem ac diligentiam commendat nobis scriptura sacra, dicens, *ut e sollicitè ambulemus cum Deo nostro; & ut f solliciti simus seruare vnitatē spiritus in vinculo pacis: & ut g sollicitudine simus* e Mich 6.3  
f Ephes. 4.3  
g Rō. 12.10. nō pigri, sed ignauiam excutiamus, quæ omnia bona opera inficit. O Deus æterne, cuius prouidentia sollicita est, sine anxietate, & curam suscipit, sine turbatione, aufer à me sollicitudinem, quam mihi prohibes, & concede quam iubes, vt sequens ordinē pacificæ tuæ plenæq; prouidentia, sollicitus sim de tuo seruitio, sicut tu es de meo commodo. Curæ meæ in hoc die totæ in eo sint, vt de meis præteritis peccatis doleam, & modum quæram, quo nunc tibi placeam, & quo declinem in posterum peccata: nam omnis hæc cura & sollicitudo pertinet ad hodiernum diem: confido autem in tua prouidentia, quòd sis mihi gratia tua præsto adfuturus, vt idem cras faciam.



## PUNCTVM II.

a *Mat. 6. 25.*

Luc. 12. 23.

**P**ERPENDINGA est deinde efficacissima illa ratio, qua Christus Dominus noster exhortatur nos ad confidendum ipsius prouidentia, ait enim; *a Nonne anima plus est, quam esca? & corpus plus, quam vestimentum?*

## I.

IN hac sententia tres admiranda, & utilissima veritates proponuntur. *Prima* est, quod anima sit melior, & maioris multo valoris, & estimationis, quam esca! & corpus sit multo pretiosius, quam vestimentum. Sub his autem duabus rebus complectitur omnes diuitias, & res pretiosas huius mundi, destinatas ad sustentandam vitam, & exornandum corpus ad habitationem, recreationem, & pompam externam. *Secunda* veritas, quod Deus Dominus noster ex mera sua gratia, nullis nostris meritis, aut industria dedit nobis animam, & corpus; ex quo efficitur, ut ex eiusdem Dei decreto, & dispositione indigeamus esca ad vitam sustentandam, & vestimento ad operiendam nuditatem, postquam Adamus vestem amisit innocentia. *Tertia* veritas est, quod qui dedit nobis, quod plus est, & prestantius, poterit, velleque etiam adicere quod est multo minus. Et qui animam, & corpus subiecit necessitati alicuius rei minoris momenti, ut conseruari possint, manifeste indicat, se scire, posse ac velle etiam illud minus dare, quo melioris necessitati succurratur. nam eadem ipsius bonitas, quae impulit ad primum,

per.



permouebit etiam ad secundū. Ex hac itaque sententiā infert Christus Dñs noster, debere nos deponere nimiam sollicitudinem circa escā, & vestimentum, & confidere diuinæ providentiæ, quæ, cum immeritis dederit res adeo pretiosas, animam. s. & corpus, datura sit etiā escam & vestimētum necessarium, quæ multo sunt vilioris pretii: O Creator liberalissime, & Magister sapientissime, quas tibi reddā gratias, pro excellenti adeo liberalitate? & quomodo pro tam alta doctrina me gratum exhibebo? credo, Domine, quod dicis, & spero à te quod mihi offers: & confidens tuæ providentiæ faciam, quidquid mihi iubes, vt gratū me ostendam propter ea, quæ mihi promittis.

Ex hac Christi Domini nostri doctrinā illud etiam colligam, quod quandoquidem anima est plus, quā escā, & corpus, quā vestimentum; id tantum ex utroque sumere debeam, quod animæ, & corpori erit conueniens, iis reiectis, quæ in eorum cederēt detrimentum. Effet enim non tolerandus error, perdere, quod plus est, pro eo, quod est minus, animam scilicet meam, aut proximi, vt acquirere possim, quod eius respectu multo minus valet: quamobrem Apōstolus admirandam illam edidit sententiam: *b Noli propter escam destrue- re opus Dei, c perdendo scilicet cibo tuo animam fratris tui, pro qua Christus mortuus est.* O Redemptor dulcissime, quandoquidē dixisti: *d quid prodest homini, si mundū vniuersū lucratur, anima vero sua detrimētū patiatur, cōcede*

IL

b Rom. 14. 20.

c 14. 16.

d Matt. 16. 26.

aa z

mih



mihī, pluris facere animam meam, quam totius mundi dominium, & possessionem; & libenter me offerre ad iacturam faciendam omnium, quæ sunt in mundo, ne illa pereat,

## III.

Ex eadē altissima doctrina colligam vniuersalem regulā confidētīæ in diuina prouidētia, q̄ scilicet quando donum aliquod grāde mihi largitur, sit etiam daturus, quod minus est, si ad conseruandum illud maius hoc fuerit necessariū, aut conueniens: & huic regulæ innititur, quod ait Apost. e

e Rom. 8. 32

*Qui pro nobis omnibus filium suum tradidit, quomodo non etiam cum illis omnia nobis donauit? quia. s. omnia sunt minus, quam ipse Filius, & diriguntur ad eiusdem honorē & seruitiū. Et qui cælum, & regnū suū nobis obtulit, media etiam necessaria ad illud obtinendū præstabit. Et qui ad statū perfectionis, aut Ecclesiæ suæ aliquā dignitatē vocauit, etiā ea dabit quæ necessaria sunt, ad satisfaciendū status, aut dignitatis obligationi. Denique qui propriū corpus, & sanguinē suum in cibū tradit, ad animæ vitā sustentandā, habebit quoq; prouidentia, vt reliquos det cibos sine cōparatione minores, & ad vitā corporis sustentandā necessarios. O dator liberalissime, qui dans nobis, quod est plus, offers te ad dandum, quod est minus vt illud conseruetur: das autem mihi immensa tua beneficia, dātaque lucem & perfectam intelligentiam ad illa cognoscenda, & vt par est æstimanda, & simul da gratiam ad tibi seruiēdum, & te propter illa diligēdum, vt hac gratiarum actione*

id



id promerear, vt tua beneficia semper in me  
maneant. Amen.

IV.

ULTIMÒ perpendā, q̄ Deus Dñs noster, cūm  
significat se habere prouidentia de esca, & ve-  
stimentis nobis necessariis, simul indicat eādē  
prouidentia se habere de nostris agris, vineis,  
oluetis, pratis, gregibus, lino, lana, serico, &  
vermibus, qui illud conficiunt ac de rebus om-  
nibus, quæ ad hanc sustentationem sunt ne-  
cessaria, & quod consequens est, ab eiusdem  
prouidentia descendunt pluuia, niues, veniūt  
venti, & bona temporis constitutio, quæ ad  
hoc iuuant. quare omnia sunt Dei Dñi nostri  
beneficia, & effectus illius curæ, quā de nobis  
gerit; quod si illi fidamus, & seruiamus, omnia  
illa nobis dabit, qui dedit, quod illis omnib.  
maius est. Hac itaq; confidentia deponenda est  
anxia illa sollicitudo, quam adfert nobis plu-  
uiarū defectus, aut ventorum, aut aliarum re-  
rum, & conicienda tota hæc cura, & sollicitu-  
do in ipsum Deum, ad quem res tota hæc tan-  
quam propria spectat: ac dicemus Deus, &  
Domine noster, qui nobis animam, & corpus  
dedisti cum onere escæ, & vestimenti; largire  
nobis hæc bona temporalia, vt maiori confi-  
dentia æterna procuremus, Amen.

## PUNCTVM. III.

**R**ESPICITE a volatilia cæli, b & cōsiderate a Mat. 6. 26  
coruos, a b quia nō seminant neq; metunt, b Luc. 12. 7.  
neq; congregāt in horrea, & Pater vester  
cælestis, pascit illa: nonne vos magis pluris estis  
illis?



## I.

*Gen. 1. 29.*  
Vt sint vo-  
bis in es-  
cam &c.

*a Job. 38. 41*

*a Ps. 146. 9.*

CONSIDERANDA hic primū est stupenda Dei Dñi nostri erga aues prouidentia, quibus conueniēs alimētū semper prouidet nō magnis tantū, sed etiā paruulis, nec solū cicuribus, & quæ sunt hominib⁹ vtilis; sed feris etiā, & inutilibus, & quas homines horrent, quales sunt corui, adeoq; gloriatur de hac prouidentia, ut dixerit Iob; a quis praparat coruo escam suā quā do pulli eius clamāt ad Deū vagantes eo quod nō habeant cibos. quasi diceret ego iūm, q prouidentia mea sufficiēs alimentū p̄parō coruo, etiā voraci, & in speciē parū vtili, & quādo is suorum pullorū obliuiscitur, ego tanq̄ Pater illos alo, audiēs clamorē, quē eorū necessitas ab eis exprimit. Si ergo Pater vester cœlestis, ait Christus, pascit aues, quarum non est aliā Pater sed Dñs, quia illæ non sunt capaces, vt sint filiæ; quantō ergo magis vos, qui filii eius estis, & quos multo pluris, quā illas facit, vos sustentabit? & si Pater vester crociantes ad se coruos exaudit, & eorū necessitati quasi condoleat; quantō magis vestros audiet clamores, famiq; vestræ condolebit, quæ vel sola erit instar orationis & clamoris, qui illum ad subueniendum, & præbendum alimentū per-moueat. Laudent te, Pater amantissime, aues Cœli, & homines terræ, ob hanc prouidentia, qua illis de esca prospicis. Aues ipse suis co-centibus, & homines verbis laudum pro-mulgent tuas misericordias, propter curam, quam habes in subleuandis eorum miseris.

DEINDE ipse quoque modus, siue ratio est

per



perpendenda, qua diuina prouidentia aues alit, quæ nullam habent sollicitudinem seminandi, aut metendi; nec horrea habent, nec cellaria, quia ipsemet Deus escam præparat unicuique earum necessariam, datque ingenium, & industriam, vt eam quærant, ac deferant ad suos pullos. Nam b *Aquila*, (vt ipsemet Dominus dicit, ) *contemplatur escam, quam de longè oculi eius prospiciunt*, quam vbi ad suos pullos detulerit, *pulli eius lambunt sanguinem, ex ea esca affluentem*, quo aluntur. Hirundines sustentat cyniphibus, aut culicibus, quos per aera volantes capiunt, & hoc cibo pinguescunt, simul comedentes & ludentes, hilaritate magna vtentes eo alimento, quod auctor naturæ illis subministrat.

III.

HINC colligit Christus Dñs noster, & exhortatur nos, vt nimiam illam sollicitudinem deponamus seminandi, & metendi, & nimias prouisiones in horrea, & cellaria, ac dispensas congregandi: nam idem, qui auibus nihil tale vel cogitantibus prouidet, multò melius nobis filijs suis prouidebit; si vel moderatam curam, quã ipse approbat, adhibeamus. Cesset itaq; anima mea, ex nũc anxietate illa curæ, quibus patris tui cœlestis prouidentiam offendis; siquidẽ ipse alit aues nihil sollicitas, ac propterea etiã te nutriet maiori propensione, si & tu illi cõfidens eã sollicitudinẽ deposueris. O Pater amãtiss. ex nũc tua prouidentia erit mihi p̄cipua seminatio & messis, meũ horreũ, meũ cellariũ. nã sine ea, ois mea cura, & sollicitudo

b *Iob. 39. 29*



erit inanis, cum ea verò sollicitudo moderata ad rem erit, valdeq; utilis, quia providentia tua supplebit meæ sollicitudinis defectus,

III,

TERTIO est perpendendū, quod eadē Deus providentia provideat piscibus maris, & animalibus terræ, conueniēs alimentū in magna abundantia; ita vt suo tēpore nunquā illis deficiat, & p̄pterea dixit Dauid; *c Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorū in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & implet omne animal benedictione: d qui das iumentis escam ipsorum: e et catuli leonū exeunt de nocte rugientes, vt rapiant, & querant à Deo escā sibi.*

*OSaluator dulcissime, qui ore tuo sanctissimo dixisti; f nō esse bonum sumere panem filiorū, & mittere canibus; Si tanta cura canibus alimentum præbes, quantò maiori illud præbebis filiis? si ferarum famem explēs, quomodo non satiabis homines! g Confiteantur tibi Domine misericordia tua, & mirabilia tua, quæ fecisti filijs hominū, quia satias animam esurientem, & inanem replet bonis. h Tu das escā omni carni, quoniam in aeternum durabit misericordia tua. i lacta, anima mea, iuxta consilium Davidis, super Dominum curam tuā, & ipse te enutrit, nec dabit in aeternum, vt fluctues ab vna in alteram partem, eius enim providentia erit nutritrix tua, quæ te alet; erit clypeus, qui te proteget; anchora, quæ te stabiliet; & corona, quæ te præmio afficiet in secula,*

Amen.

c Psal. 144.  
15.

d Psal. 146.  
9.

e Psal. 103.  
21.

f Job. 38. 39.  
f Matt. 15.  
26.

g Psal. 106.  
8.

h Psal. 135.  
25.

i Psal. 54. 23



## PUNCTVM IV.

**Q**UIS a. b. vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? b Si ergo, neque quod minimum est, potestis, quid de ceteris solliciti estis? Circa hanc sententiam considerandum est, quod prouidentia diuina ita de nostri corporis statura decreuerit, vt sit impossibile, aliqua sollicitudine, aut cura etiam maxima aliquid addere ei, quod Deus constitutum habet, iuxta cuiusque complexionem.

a Matt. 6.  
27.  
b Luc. 12.  
26.

I.

Ex quo infert ipse CHRISTVS Dominus, PRIMVM, quod sicut prouidentia Diuina occultè noctu, dieque efficit, vt corpora nostra crescant, & perueniant ad sibi debitam, & constitutam staturam, nobis non scientibus, quomodo id fiat: ita etiam daturus sit nobis nutrimentum ad id necessarium, & vestimentum proprium illius mensuræ, siquidem qui dat quod plus est, dabit etiam, quod est minus, si hoc est necessarium ad conseruandum illud. Sæpè vero hæc largitur Deus medijs ad eò occultis, vt nos illa non aduertamus, quò manifestius agnoscamus eius erga nos curam; & discamus ipsius prouidentia fidere, ei que diligentius seruire.

II.

DEINDE infert idem Christus Dominus, siquidem nostra sollicitudo non potest corpori nostro cubitum vnum, imò nec digitum addere, ac propterea conatus esset inanis, id



attentare, quod est impossibile; etiam esse iustum, nimiam sollicitudinem deponere cibi, & vestimenti, quasi per nos ipsos tantum illa acquirere possemus, quia & hæc erit inanis sollicitudo, quæ sine Dei providentia id assequi non valebit; Si, inquit, *neq; quod minimū est potestis, quid de cæteris solliciti estis?* Siquidem sine me vos assequi non potestis, & ego in me recipio vobis providere. O Pater cœlestis, gratias supremæ tuæ providentiæ ago, quod non solum corpus mihi dederis, sed augmentum quoque eius, & perfectionem; & quamvis ego dormiam, aut vigilans alijs rebus occuper, tu semper huius curam geris; supplex ergo te oro Domine, vt eodem modo profectum cures, & perfectionem spiritualem animæ meæ, quæ multo plus valet, quam corpus: siquidem

*1. Cor. 3. 7.*

*Marc. 4. 27*

III.

*c neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed tu qui incrementum das Deus.*

E X eadem hac veritate licet etiam cognoscere, quàm deceat me esse contentum, quod talem habeam staturam, & membrorum proportionem, quæ mihi bona sorte obtigit; siquidem hoc etiam à diuina providentia ob commodum meū prouenit, & ob eius gloriā, qui illā mihi dedit, qui æquè glorificatur paruo, ac magno, macro ac pingui; & quisq; gratias illi debet pro ea statura, quam habet; nec qui magnam habet, debet se propterea iuauer efferre; nec qui habet paruam, animū abijcere; verissimum est enim, quod dixit Dauid

*Psal. 99. 3.*

*ipse fecit nos, & nō ipsi nos. Quod si ita est, quod*



ipse fecerit, & quis dicere ei poterit, cur ita fa- c Iob. 9. 12.  
 ciat? Sufficit mihi, Domine, quod tu feceris, ut  
 eo sim ego contentus: & si in me esset positum,  
 dissolvere quod tu statuisti, id tamen tuæ om-  
 ninò voluntati remitterem; nihil enim re-  
 ctius mihi esse potest, quàm tuæ fidere guber-  
 nationi.

PVNCTVM V.

**D**E vestimento quid solliciti estis? a conside- a Matt. 6.  
 rate lilia agri, quomodo crescunt: non la- 28.  
 borant, neque nent. Dico aut vobis, quo- Luc. 12. 27.  
 nam nec Salomon in omni gloria sua coopertus  
 est sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri,  
 quod hodie est, & cras in clibanum mittitur,  
 Deus sic vestit: quanto magis vos, modica fidei?

I.

CIRCA cœlestem hanc doctrinam consi-  
 derandum primò, quod providentia diuina  
 omnibus rebus viventibus prouiderit vesti-  
 menta naturæ ipsorum accommodata. Nam  
 piscibus dedit squamas, auibus plumas, reli-  
 quis animantibus aut lanas, aut dura coria,  
 arboribus asperos & duros cortices. Sed cum  
 homine vltèrius progressa est diuina prou-  
 idencia, nam cum his omnibus natura sua ca-  
 teret, mirabiliter illum induit gratia sua, ex-  
 ornans illum in statu innocentia Originali  
 iustitia, cuius virtute poterat vitam ducere  
 absque vlla veste corporis; nec tamen vl-  
 lum detrimentum pati, aut b pudore aliquo b Gen. 2. 25.  
 affici, propter nuditatem. Sed postquam A-  
 damus, & Eva peccato suo hac veste fuerunt  
 spoliati, c consuerunt quidem sibi ipsi aliam c Gen. 3. 7.  
 vestem,



vestem, *ex folijs ficus*, vt nuditatem suam te-  
 rent; sed prouidentia diuina videns genus il-  
 lud vestimenti accommodatum non esse, sta-  
 tim illis aliud melius prouidit, ex pellibus  
 scilicet animalium, quod vel ipse per se, vel  
 per ministros Angelos adapeauit, tum vt prae-  
 senti eorum necessitati cōsuleret, tum vt mo-  
 dum, & formam se vestiendi in futurum do-  
 ceret, & potissimum, vt illi, & nos intelli-  
 geremus, culpam illam non suffecisse ad hoc, vt  
 omninò à Diuina prouidentia excluderemur,  
 & ipse Deus curam abijceret, nobis prospici-  
 endi de vestimento, statui nostro peccatorum  
 conuenienti, sicut prospexerat de alio conue-  
 ni statui iustorum. O Pater amantissime, & be-  
 nignissime, quis te non diligit, laudabitque  
 pro adeo beneuola prouidentia, quam habes  
 erga nos! non mirum erat, quòd qui omnibus  
 animantibus apta vestimenta prouidisses, et-  
 iam hominibus prouideres; sed illud stupo-  
 rem adfert, quòd cum homines culpā suā red-  
 didissent se animantibus deteriores, eisdem  
 tamen diuina tua prouidentia non deseruerit.  
 Qui pretiosissimā Originalis Iustitiæ vestem  
 lacerauerat, dignus erat, qui nudus perpetuo  
 remaneret, cum perpetuo tum corporis, tum  
 animæ pudore; sed infinita tua misericordia  
 induit eorum corpora pellibus animalium de-  
 mortuorū, desiderans, gratia tua induere eo-  
 rum animas per penitentiam. Laudent te Do-  
 mine, corpus meum, & anima mea, ob solici-  
 tudinem, qua illis prospicis de conuenienti  
 vesti.



vestimento, & vtrumque omnino te mancipet tuo obsequio, si enim tantam geris curam peccatorum, qui te offendunt, multo geres maiorem iustorum, qui tibi seruiunt.

II.

DEINDE considerandum, quòd Christus Dominus noster vt nobis persuaderet, depone- re nimiam sollicitudinem de vestimentis, adferat exemplum suæ prouidentia in vesti- endis lilijs, & quidem non ijs quæ in hortis hominum industria, & arte crescunt; sed ijs quæ nascuntur in agris, quæ, vt Christus di- cit, *nec laborant, neque nent*; vt vel sibi nendo, quemadmodum foeminae, vestē faciant; vel laborando sicut viri, vestem sibi comparent; sed sola prouidentia Creatoris nascuntur ve- stita, tanta iucunditate, & pulchritudine, vt *nec Salomon in omni gloria sua coopertus fue- rit, sicut vnum ex his*. Qui igitur tantam curam gerit vestiendi lilia, & foenum, quod hodie est, & cras marcescit, & in clibanum mittitur; quanto maiorem geret hominis, cuius vita diuturnior est, qui non fuit conditus, vt mit- teretur in clibanum, sed vt transferretur in Coelum? O anima mea, si huius mundi prin- cipes, quamuis Salomone sapientiores, & po- tentiores, non possunt tam gloriosa vestimēta sibi comparare, sicut Deus lilijs largitur, d *bo- b Psal. 117. 8*  
*num est sperare in Domino, quàm sperare in principibus*: si quidem à Deo accipere possum, quod illi non possunt mihi dare.

III.

TERTIÒ perpendam duplicem causam, ob quam Christus Dominus noster non attulerit

pro



pro exemplo suę providentię vestimenta, quę dederit piscibus, avibus, & animalibus; sed quę dederit lilijs, quę hodie sunt, & cras in clibanũ mittuntur. *Prima* enim causa fuit, ad ostendendã suę providentię liberalitatẽ, providendo nobis de necessario vestimento, quod sufficisset etiã crassum, & rude ex pellibus animalium; sed etiã pretiosum, & splendidũ prospexit ad ornatum nostrarũ personarũ, iuxta decetiam nostri status. nam dedit nobis aureas telas, sericas, & alias pretiosas, quibus tamen non ad vanitatẽ, sed ad gloriam dantis esset utendum. *Secunda* causa fuit mystica, ad manifestandam largitatẽ eius providentię in distribuendis huiusmodi pretiosis vestimentis, non solum iustis, & electis ad cœlum; sed etiã prophanis hominibus, qui sunt tanquam scœnum: & quãvis hodiẽ splendeant in suis vestimentis, crastamen mittuntur in clibanum, & ignem Inferni. Ut hinc etiã appareat, quod qui adeo est liberalis in reprobos, multo erit in electos liberalior; & qui tanta gloria eos vestit, qui futuri sunt fomentum ignis sempiterni, quanto maiori gloria, & splendore vestiet futuros ciues ipsius regni? O gloria mea, gratias tibi, ob adeo pretiosa vestimenta, quę tuis creaturis largiris, ad ostendendam providentiam, quam de illis habes. Lubenti omnino animo & tui amore renuncio vestimentis glorię temporalis, optans à te indui pretiosa veste tuę gratię, & postea etiã veste æternę glorię, Amen.



PVNCTVM VI.

**N**OLITE a solliciti esse dicentes, quid man- a Matt. 6. 31  
ducabimus, aut quid bibemus, aut quo  
operiemur: b & nolite in sublime tolli, a. b Luc. 12.  
b. hac enim omnia gentes b mundi quarunt; Pa- 29.

I.

PRIMUM est considerandum ingens deside-  
rium Christi Domini nostri, vt eius Discipuli  
deponant nimiam sollicitudinem haru rerum  
temporalium, fidantque Deo, illorum curam  
gerenti: hoc enim desiderium aperit, cum to-  
ties repetit, ne simus solliciti de cibo, nec de  
potu, qui adhuc est minus. Et S. Lucas addit  
nolite in sublime tolli; quo prohibet etiam ni-  
miam sollicitudinē de rebus aliquibus, quę ip-  
sius incumbunt prouidentia. Primum ne toli-  
citi simus de gloria, honore, & fama; nec de  
dignitatibus, officijs, & eminentiori loco in  
mundo. Deinde ne extollamur de bonis, quę  
Deus nobis est largitus, vt alijs præferri veli- c. 1. Tim. 6.  
mus, & c. sublime sapere, & inflari. Tertio ne al- 17.  
tiora nobis quæramus, & quę facultatem no-  
stram, & merita excedunt, quærentes pro-  
pterea locum altiore, aut rem aliquam ex-  
celsiorem, quam nostra paruitas mereatur,  
in quacunque materia id sit. Quarto ne ela-  
tis oculis incedamus, curiosè aspicientes si-  
gna Cœli, & planetarum, tanquam ab eis  
expectantes euentum rerum, quas desidera-  
mus: d nec ea timeamus, quia nec malè pos- d Jerom.  
sunt facere, nec bene; sed à diuina prouidentia 20 s.

illa



c Psal. 30. 10  
f Prou. 33.  
g c. 21. 1.

illa sunt expectanda, ad quam hæc omnia spectant, & euentus cuiuscunq; rei magna, quam quærimus; siue hominum suffragijs res sit discernenda, siue sorte, siue voluntate Regum, quia nihil horum casu euenit, sed à providentia Dei, e in cuius manu sunt sortes nostra, quæ, vt Sapiens ait, *mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*: & *g cor Regis* etiam suis affectibus indulgentis, *in manu est Domini: quocunq; voluerit, inclinabit illud*. Et ipse est, qui largitur Imperia, Pontificatum, dignitates, Cathedras, Beneficia, & Officia honorata vtriusque Reipublicæ Ecclesiasticæ, & Secularis. Et quamuis in huiusmodi prouisionibus misceantur ambitiones, pressiones, iniustitiæ, & alia peccata, quæ diuina providentia occultos fines permittit, ipsa tamen euentus dirigit ad suos supremos fines. Ex quo efficitur, vt magnam diuinæ providentiæ iniuriam irrogare censeatur, is, qui in huiusmodi rebus anxie est sollicitus, peruigil, & totus effusus in excogitandis medijs quibus talia possit obtinere: erit verò iniuria grauior, cum mala media contra diuinam voluntatem adhibentur, nam (vt paulò post dicemus) quatenus huiusmodi euentus mihi expediunt, poterit diuina providentia efficere, & volet etiam vt absque huiusmodi medijs mihi accidant ijdem, alijs licitis à me adhibitis medijs, aut ab eadē prouidentia, me quoque in scio eò directis. Et ob hanc causam etiam, dixit Christus Dominus noster: *Nolite in sublime tolli, sollicitè videlicet,*

Ex Theophilact.



licet, & anxie oculos in altum eleuantes, suspirantes, gementes, vagantes ab vna in alteram partem, & quærentes vias, & modos, quibus voti compotes, efficiamini. O Deus altissime, qui in altis habitans prouidentia tua rebus his inferioribus prospicis, me totum, Domine, diuinæ tuæ dispositioni subijcio, magnaque fiducia oculos in altum, vbi tu es, attollens, sperabo inde mihi euenturum, quod maximè expedit, vt vitam meam ita in terra transigam, vt postea ascendam ad te fruendum in Cælo.

CONSIDERABO deinde duplicem rationem à Christo Domino nostro allatā ad remouendam à nobis nimiam sollicitudinē. *Prima est, h quia hæc omnia, inquit, gentes mundi quærūt;* h Luc. 12. 30. quasi diceret, res huiusmodi tanta sollicitudine, & per talia media quærere, est proprium gentium negantium (vt est apud Iob) diuinam prouidentiam, ac dicentium: *i quid enim nouit Deus? nec nostra considerat;* i Iob. 22. 13. aut etiam hominum huius seculi, qui eandem prouidentiam suis operibus negant, *k ac dicunt; quomodo scit Deus, & si est scientia in excelsis?* k Psal. 72. 11. aut etiam hominum imperfectorum, qui ob suam exiguam fiduciam de Dei prouidentia anxij sunt, sicut infideles. O Magister supreme, cuius doctrinā *gentiles reputant stultitiā, & huius mundi sapientes in eandem ignorantes blasphemant,* nō I. Cor. 1. 23. m Iuda epistol. 10. intelligentes altissimæ tuæ prouidentix secreta. Illustra, Domine, illos cœlesti luce tua, vt eam cognoscant, & venerentur; & quando

II.

V l. Part. Med.

bb

qui-



quidem ego illam ex tua misericordia credo, concede mihi, ut vitam meam ita illi conformem, ut admirandis effectibus, qui ab ea procedunt, frui possim.

II.

SECUNDA ratio, eaque indulgentissima est: *scit enim Pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis*. In quibus verbis describit Christus Dominus noster tria diuina attributa, quibus fiducia nostra, quam de eius providentia habere debemus, innitur; *Sapientiam* videlicet, cui omnes nostræ necessitates sunt notæ; *Bonitatem*, qua vult illis subuenire, quia Pater est, & *Omnipotentiam*, ad exhibendum remedium, quia & Pater est cœlestis, & rerum omnium creatarum Dominus. Si igitur hoc totum ita se habet, certissimum est, Deum paternam suam providentiam prospecturum nobis de omnibus, quantum vobis conueniet.

Nota.

EX his licebit inferre efficacissimam rationem ad pacem, & consolationem habendam in rebus omnibus, quas obtinere desidero, ita mecum ipse loquens: Aut res hæc, quam desidero, & quæro, est mihi expediens, aut non est: Si mihi non expedit, quia erit mihi occasione maiorum incommodorum corporis, & animæ, nolo illam habere, & ita spero Deum providentia sua impediturum, ne eam obtineam; quod si mihi expedit illam habere, certus sum quoque, eundem Dominum eadem sua providentia effecturum, ut illam habeam, quia ipse tanquam *Pater* cupit mihi

bonum,



bonum, & nouit tanquam *Sapiens* media, per  
 quæ mihi det illud, potestque id re ipsa præ-  
 stare, tanquam *Potens*. Qua consideratione  
 contentus omnino ero, quocumque euentu  
 rei, quam desiderabam, & locum habebit in  
 me illud Salomonis: *n Non corrumpabit iustum,*  
*quidquid ei acciderit.* quia nouit id prouenire  
 à prouidentia Patris sui cœlestis. O Pater  
 amantissime, ex nunc cupio tibi seruire ma-  
 gna pace, & lætitia, quæ tuæ diuinę prouiden-  
 tiæ innitatur: satis enim mihi est credere no-  
 tas tibi esse omnes meas necessitates, ut certo  
 sperem earum remedium.

n *Prou. 12.*  
 21.

## PUNCTVM VII.

DE PROVIDENTIA DEI  
 erga quærentes primum Re-  
 gnum Dei:

**Q**VAERITE ergo primum Regnum Dei, &  
*iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur*  
*vobis.* Admiranda hac sententia expri-  
 mitur ordo quem in quærendis rebus nostris  
 seruare debemus, ut simus digni, quorum di-  
 uina prouidentia curam habeat, ut eas obti-  
 neamus. Et quoniam singula huius sententiæ  
 verba proprium habent mysterium, singula  
 seorsim expendemus.

a *Matt. 6. 33*  
*Luc. 12. 31.*

Primum ergo verbum est, PRIMVM quæri-  
 te Regnum Dei, hoc est, ante omnia, præ omni-  
 bus, & primo loco collocâtes primâ, & præ-

I:

bb z cipuam



cipuam vestram curam in quaerendo regno Dei, constituendo illud tanquam vltimum intentionis vestrae finem; ita vt nullam aliam rem pluris, nec tanti faciatis, atque illud Regnum; sed nec tali intentioni aliquam aliam adiungatis, quae sit aliena ab eius praesentia.

II. ET non dicit: estote solliciti, sed **QVAERITE**, nam anxiosa sollicitudo etiam in eo regno quaerendo non placet Deo, vt supra dictum est, propterea quod talis anxietas plena sit dubijs, & diffidentijs de eius providentia.

III. *Tertium* verbum est, **REGNUM DEI**, coeleste scilicet & aeternum, in quo Deum videatis, & Iesu eo aeternum regnetis. Idque sit primum, non solum quia est vestrum bonum, sed vt idem Deus in vobis regnet, eiusque regnum dilatetur per totum mundum, & eius nomen sanctificetur ab omnibus.

*Medit. 13.  
3. Part.*

IV. **VERVM** etiam quaerite **IUSTITIAM** eius, iustitiam videlicet Dei, aut eius regni, quae facit vos iustos, & complectitur omnes virtutes, & opera, quae tituli sunt, & media ad regnum illud, & coronam iustitiae consequendam. Magno autem mysterio Christus Dominus noster non dixit, *quaerite primum regnum Dei*, ac deinde *iustitiam eius*; sed simul, inquit, & primo loco vtrumque esse quaerendum, quia non potest vnum absque altero quaeri. Et qui dicit se quaerere regnum Dei, nisi etiam quaerat iustitiam, & sanctitatem, se ipsum decipit; parum enim prodest desiderare ire ad caelum, nisi ad id apta media adhibeantur. Nam vt

pro-



providentia diuina non vult nos esse nimium sollicitos, & anxios; ita etiam non vult esse remissos, ac torpentes. O Rex æterne, siquidem iubes, vt quæram tuum regnum, tuamque iustitiã, præueniat, quæso, me tua misericordia, adiuuans me exercere illa mediã, quibus regnum tuum, & iustitia obtinentur.

VLTIMVM verbum est, & HAEC OMNIA ADIICIENTVR VOBIS: quibus verbis Christus Dominus noster per modum promissionis securos facit quærentes eius regnum, & iustitiã, quod specialem sit ipsorũ providentiam habiturus, ac prospecturus de rebus omnibus ad vitam hanc transigendam necessarijs, idque maiori suauitate, quàm gentibus huius mundi, qui ad eò anxie illas quærent, iuxta illud Dauidis; *b Diuites egerunt, & esurierunt: b Psal. 33. 11.* *inquirentes autem Dominum non minuentur boni: quasi diceret: quamuis illi, qui in suis diuitijs confidunt, eo deueniant, vt multis tandem indigeant; at qui quærent Deum, & spem suam in eo collocant, illis non deerit vllum bonum spirituale, aut corporale, modo ipsis sit bonum. Quod si quando cibus, aut vestimentum corporis illis deerit, id cedit in maius bonum animæ eorum.*

LATEŢ tamen aliquod mysterium in eo, quod Christus Dominus noster non dixerit, *quærite postea* huiusmodi bona temporalia. nam quamuis licitum sit moderata sollicitudine illa quærare, id tamen vt facerent dicere noluit, vt remotiores nos à nimia sollicitudine



1. Cor. 7. 31

faceret, quæ facilè etiam moderatè se inferit: ideoque qui illa quærit, meritò sequetur Apostoli consilium dicentis, *ut c qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes sint.* remouendo scilicet omnem turbationem, & occasionem peccandi. nam illa hoc modo quærere, est quærere iustitiam, & regnum Dei; quia Deus iubet nos adhibere mediâ aptâ ad quærêdum, quod ad mortem vitandam est necessarium. Nec dixit Christus Dominus noster: hæc omnia vobis dabuntur, sed: *adijciuntur*; vt intelligamus Deum non dare iustis huiusmodi tēporalia in præmium principale operum ipsorū, sed tanquam additamētâ, quatenus scilicet ad vitam ducendam tanquam mediâ requiruntur. Ideoque in die, quo est præmia redditurus, nō vult hæc magis poni in rationibus, quàm si illa nō dedisset: non enim honori sibi ducit, tam abiectis præmijs seruitia nostra compensare; & eadem ratione deo ego abiectissimum reputare Deo propter illa seruire, aut illa quærere pro mercede præcipua meorum operum; sed generosè quærere gloriam huius Domini, & regni eius, ipsius prouidentie committens, vt ex temporalibus ipse adijciat, quod voluerit, parum, aut multum, statuēs apud me, fideliter illi seruire quocunq; tandem modo me velit tractare. Quia via non solum non perdam temporalia, sed potius, si ita mihi expedit, eadem augebo, qui enim Deo seruit, eò magis emolumentum consequitur, quo ipse minus quærebat proprium.



PVNCTVM IIX.

**A**D præcedentium confirmationem est  
 vltimò cõsiderandum, quòd Deus pro-  
 uidentia erga suos electos ad eò sit be-  
 neuolâ, vt quando humana, & ordinaria me-  
 dia non sunt possibilia, ad illis prospiciendũ  
 de cibo, & vestimento, & alijs ad vitam neces-  
 sarijs, adinueniat ipse media extraordinaria  
 & prodigiosa, vt hæc omnia illis prouideat,  
 sicut fecit cũ filijs Israel, *a qui comederũt man-*  
*na quadraginta annis in deserto*, mittens illud  
 de Cœlo, & *b aquam deducens ex petra* prodigiosè,  
 quo toto tempore *c non sunt attrita ve-*  
*stimenta eorum, nec calceamenta pedum eo-*  
*rum vetustate consumpta sunt.*

a Exod. 16.  
 35.  
 b c. 17. 6.  
 c Deut. 29. 5.

NOMINATIM autem perpendam tria me-  
 dia prodigiosa, quæ prouidentia diuina osten-  
 dit in sustentando Elia. *Primum* fuit, quod  
 mandauerit coruis, *d adferre illi panem, & car-*  
*nes manè, & panem, & carnes vesperi*, qui etiã  
 voraces essent, Dei tamen mandato parentes,  
 ex ore suo dimittebant, vt Prophetæ traderet.  
 In quo nobis proponitur, quod magni pec-  
 catores per coruos significati, quamuis sint  
 cupidissimi, solent tamen ex diuina inspi-  
 ratione suis facultatibus Dei seruos susten-  
 tare. O Pater amantissime, quis tibi non o-  
 bediat relinquendo amore tui etiã quod  
 tibi valdè placet, si quidem corui tibi pa-  
 rent, relinquentes palati sui naturalem ap-  
 petitionem, vt tuis amicis satisfaciant. quid-

I.  
 d 3. Reg. 17.  
 6.

PVN-



quid mihi placet, exponam, Domine, tantum ut tibi cum amore seruiam, firmiter fidens tuę prouidentię, quodd ubi opus fuerit, si me homines deseruerint, ipsę ferę mihi ministrabunt.

## II.

c 3. Reg. 17.

SECUNDVS modus fuit per quandam pauperem viduam, quę nihil habebat, quo vel se ipsam sustentaret, *enisi quantum pugillus capere poterat farina in hydria, & paululum olei in lecytho*, cui præcepit Dominus, ut Eliam sustentaret, multiplicando prodigiosę, quę illa habebat, ita ut sufficerent ad Prophetam, & seipsam, ac filium sustentandos, ut sic manifestaret prouidentiam, quam gerit de suis seruis per alios homines pios, & qui eleemosynas libenter largiuntur, multiplicans illis bonas, quę habent in præmium eleemosynę, quam faciunt. Quamuis enim prouidentia diuina reuera prouideat omnibus, maiori tamen cura attendit ijs, quos accipit tanquam instrumenta ad ea præstanda, quę ipse vult fieri, dant illis, quia & ipsi dant; & etiam ut plura dent seruis ipsius.

## III.

d 3. Reg. 19.  
6.e Daniel.  
4. 35.

TERTIVS modus fuit per d *Angelum, qui illi apposuit panem, & aquam*, cum ipse dormiret, & omninõ nihil ea de re cogitaret. Angeli enim sunt prouidentię diuinę ministri ad eius electos alendos tempore necessitatis, quando videlicet humanum subsidium illis deest: sicut alter e *Angelus apprehendit Habacuc, & portauit eum capillo capitis sui, posuitq; in Babylone supra lacum Leonum*, in quo



quo erat Daniel, & clamavit Habacuc dicens:  
*Daniel, serue Dei, tolle prandium, quod misit tibi  
 Deus, qui Daniel admirans infinitam hanc Dei  
 charitatem, & prouidentiam, dixit; recorda-  
 tus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes  
 te. O Deus animæ meæ, infinitas gratias ago  
 tibi, ob memoriam, quam retines tuorum ser-  
 uorum, protegens, & sustentans sperantes in  
 tua misericordia, nec fuisti contentus obtu-  
 rare ora famelicorum leonum, ne seruum  
 tuum deuorarent, sed etiam aufers prandium  
 messoribus esurientibus, vt illud mitteres  
 seruo tuo. Benedicta sit aded benigna prou-  
 dentia tua, & laudent te propter illam & An-  
 geli, & homines. Auge Domine in corde meo  
 eiusdem prouidentia fidei, atque fiduciam,  
 vt hac dispositione faciens quod mihi iubes,  
 te ipsa experiar quod mihi promittis.*

*HAC doctrina consolari se ipsos possunt reli-  
 giosi, qui teste Cassiano, res omnes a se abij-  
 cientes, vt à curis anxij sint expediti,  
 se ipsos diuina prouidentia commit-  
 tunt, vt perfectius Chri-  
 stum sequan-  
 tur*

*Collat. 19.  
 c. 5. 6. & 8.*

